Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

in omnibus in gentibus utique credentibus laudat illum. Quandocumque
enim gentes glorificant et laudant dominum patrem, filius dei laudat illum per
ora et opera gentium, cuius sanguine redempti sunt. Ideoque dicit per prophetam
quia me per populos multos et gentes per fidem subiugasti, confitebor tibi pater et
gentes per ipsas glorificabo te. et nomini tuo cantabo, id est nomen divinitatis
tue laudabo. Et inde dicit scriptura in deuteronomio. Letamini
gentes cum plebe eius. Moyses legis lator extendens oculum prophe-
tie ad tempus vocationis gentium alloquitur eas exhortando ut et
laudant dominum patrum cum plebe israhelitica. que olim plebs eius sola
ex omnibus gentibus vocabatur. O gentes credentes in filium dei. per cuius
passionem estis redempte. et per cuius baptismum mundate atque expiate
estis ab omnibus peccatis sociantes vos in affectum caritatis credentibus
ex israhel letamini cum leticia spirituali. Et iterum. Laudate omnes gentes
dominum. Chorus apostolorum loquitur multitudinem gentium ad fidem christi et per
baptismi gratiam concurrentem. et precipit ut laudes gratiarum referant domino.
corde. ore. et opere. cuius gratia sunt redempti. cuius misericordia ab omnibus reatibus purga-
ti. In hoc vero quod subdit. magnificate eum omnes populi. iudeos hortatur ut
gaudeant de salute gentium inquiens. et vos omnes populi id est omnes iudei
laudate dominum et magnificate id est magnum predicate propter salutem fratrum
vestrorum gentilium. et propter ineffabilia magnalia que vobis contulit a
diebus antiquis. referentibus gentibus quanta et qualia vobis libentissi-
me prestitit. Et rursum ysaias ait. Erit radix iesse. et qui exurget
nota regere gentes. in eo gentes sperabunt. Iesse ipse est ysai pater david re-
gis. de cuius prosapia ortus est christus secundum carnem per mariam virginem. Hoc quod
erit radix iesse. dupliciter intelligi potest hoc modo. iesse ipse est radix.
David vero filius eius ipse est arbor. Maria virgo ramus eiusdem arboris est. flos
vero rami istius christus est. qui dicit ad ecclesiam in cantico canticorum. Ego flos
campi. Radix ergo huius id est christi iesse fuit. Quia sicut flos ex radice arbo-
ris processionem habet. ita et christus secundum carnem ex iesse originem duxit.
nota aliter Altiori autem intellectu radix iesse christus est. verbum dei patris scilicet quod inter
cetera que creavit. iesse quoque creator extiterit. Omnia enim per ipsum
facta sunt. et sine ipso factum est nichil. Qui ergo secundum carnem ex iesse ori-
ginem duxit. ipse secundum divinitatem utique radix et creator iesse
extitit. Iesse autem interpretatur. verbum substantivum mihi est. Quod vero dicitur erit
radix. similiter erit ab eodem substantivo verbo venit. et ponitur pro